



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Articul. IV. An ad assensum conclusionis requiratur cognitio reflexa de bonitate consequentiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

tentia libera, quæ positis omnibus ad agendum requisitis agere potest, vel non agere. Econtra intellectus est potentia necessaria, quæ positis omnibus ad agendum requisitis necessariò agit.

ARTICULUS IV.

An ad assensum conclusionis requiratur cognitio reflexa de bonitate consequentiæ?

549. **N**ota. Per cognitionem reflexam de bonitate consequentiæ intelligitur hic actus specialis, & realiter à præmissis formalibus, & conclusione formali distinctus, vi cujus intellectus, antequam concessis præmissis conclusionem eliciat, specialiter se reflectit super præmissas, & conclusionem, vidétque *signatè*, ac reflexè, an talis conclusio è talibus præmissis benè sequatur? Quæritur proinde hic de tali actu speciali; an requiratur ad eliciendam conclusionem? Ecce tibi *statum questionis* in exemplo: Quæritur, an intellectus concessis v. g. his præmissis: *Omne animal est vivens; sed Petrus est animal*; debeat priùs elicere actum, quo v. g. sic dicat: *Ex eo, quòd omne animal sit vivens, & Petrus sit animal, benè sequitur hæc conclusio: Petrus est vivens*: atque posito hoc iudicio reflexo, deinde modò ponat conclusionem: *Ergo Petrus est vivens?* Ex his advertes, quæstionem hic potissimùm esse de præmissis objectivis. Nam, quòd conclusio non necessariò se reflectat in præmissas formales, Communior est Philosophorum: hæ enim non re-
qui-

qui-

quiruntur ad conclusionem, nisi *ut conditio, intentionaliter præmissas objectivas applicans*, sive *ut causa conclusionis*; quid enim aliud præmissis formalibus tribuatur? ergo necesse non est, ut intellectus in conclusione se in eas reflectat; aliàs deberet se reflectere in applicationem motivi, item in se ipsum, tanquam in causam physicam suorum actuum, quæ tamen nullus satis defendet.

550. *Dic.* Regulariter, & ordinariè non prærequiritur cognitio reflexa de bonitate consequentiæ ad assensum conclusionis. *Ratio est:* Quia cognitâ in præmissis identitate duorum cum tertio intellectus sufficienter illuminatur, determinaturque ad affirmandum duo esse idem inter se. Confirmant conclusionem hanc nostram *Cajetanus, Vasquez, Mastrius, Comptonus, de Benedictis, & complures alii.* Dixi *Regulariter, & Ordinariè:* Nam id minimè nego, quòd subinde aliquis volens indagare artificium discursûs, v. g. Tyro, vel in materia obscura, adhibeat hoc iudicium reflexum; ordinariè autem id non requiri, ipsa experientia attestatur.

551. *Obj.* Particulæ *Ergo* correspondere in mente debet aliquis conceptus; sed hic nil est, nisi cognitio reflexa; ergo. *R. D. maj.* Debet correspondere aliquis conceptus distinctus à consequente. *N.* Debet correspondere aliquis conceptus, i. e. aliquis specialis modus tendendi illativus. *C.* *Si ais:* Conclusio dicit, *hoc ita esse, quia aliud est.* v. g. Petrum esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo; ergo

ergo conclusio debet se reflectere super præmissas. R. D. ant. dicit, hoc esse, quia aliud est, *formaliter, in actu signato, & iudicio explicito semper & distincto*. N. dicit hoc in actu exercito, virtualiter, & *iudicio implicito*. C. Eâdem distinctione explicabis Aristotelem, dum dicit: *Scientiam esse cognitionem rei per causas*. Item hæc & similia argumenta: *Intellectus non assentitur connexioni cum præmissis, nisi eam cognoscat. Argumentans necessario reflectit ad bonitatem consequentiæ &c.*

ARTICULUS V.

An conclusio formaliter, & intrinsecè attingat objectum præmissarum?

552. **N**Ota. Præmissæ, ut aliis in locis jam advertimus, aliæ sunt formales, aliæ objectivæ. *Formales* sunt actus intellectûs affirmantes aut negantes identitatem duorum cum tertio. *Objectivæ* sunt ipsum objectum, quod affirmatur, sive ipsa identitas cum tertio. Pari modo conclusio alia est *formalis*, quæ est actus intellectûs illativè affirmans identitatem duorum inter se. Alia est *objectiva*, quæ est ipsum objectum, quod infertur, sive ipsa identitas duorum inter se illata. Præsciendum porrò est, quòd hìc non quaeratur: An conclusio formalis aliquo modo, & *extrinsecè* attingat præmissas formales? hoc enim certum videtur, quia particula *Ergo* dependentiam aliquam conclusionis formalis à præmissis formalibus significat. Certum præterea est, quòd conclusio formalis non